

461 Cor. 41-999 av

ACADEMICA
DISSERTATIO
DE ADQUIRENDA,
VEL OMITTENDA HEREDITATE
AD ILLUSTRATIONEM

§. ult. Tit. XIX. Lib. II. Instit. Justin.

QUAM,
PATRONO D. VINCENTIO MATHEO
DE SORRIBAS,

TUEBITUR
D. AUGUSTINUS CASTILLO,
EJUS DISCIPULUS,

IN CÆSAR-AUGUSTANA ACADEMIA

DIE XXIII. MARTII, ANNI M.DCC.LXXI

SUPERIORUM PERMISSU.

CÆSAR-AUGUSTÆ excudebat FRANCISCUS MORENO,
Academiæ Typographus.



ACADEMIA
DISPARATIA
DE ABOUHANNI
OMNIA HISTORICA
AD MECHANICAM ET
PHYSICAM ET MATHEMATICAM
CARTONIS ET VELLUM
DE SOLITUDINE
TURGIDA
AUGUSTINUS GESTIUS
ET ASSEMBLEAS
IN CIVIS-VENETIANA ACADEMIA
DE LXXXVII MARCHI - ANN. MDCCXIX
SUPERIORUM PERMIXTA
CIVIS-AUCARIA excepit E. VINCENSUS MARCHI
Academie Typographus



UM aggredimur propugnare locum insignem, & revera difficultem, qui brevissimo sub verborum compendio integrum ferè de acquirenda, vel omittenda hereditate tractatum, qui in Pandectis, & in nostro Codice quam latissimè patet, complectitur: Hæc itaque est juris pars in qua Romana subtilitas maximè dominatur, quam præterea involutam reddunt variae ex antiquitatibus eruendas notitiae, modi hereditatis acquirendæ, juris novi cum vetere collatio, & j. Ctorum, quæ in Pandectis extant fragmenta, densis difficultatum tenebris obsita: Dabimus tamen operam, et si nunc primum juris scientiam salutantes, ut dissertationem hanc à nobis excipiatis, & stilo, & rerum tractandarum electione si non facetam, nec tamen prorsus injucundam; Cum vero tria sint, quæ in proposito argumento occurrant, hereditas scilicet, ejus adquisitio, & omissione, de his tribus ordine agemus; ea tamen lege, ut quod ipse Justinianus præstitit in §. ult. Inst. de her. qual. totam hujus loci disceprationem ad extraneos dumtaxat heredes referre, id nos quoque ejus vestigia insequentes, publici juris faciamus.

§. I.

DE HEREDITATE, ET USQUE FICTIONE.

I. **H**ereditas, quæ ab Hero, (1) hoc est. Domino dici probabilius existimamus, quam ab Ēre, vel ab hærendo, ut placuit Divo Isidoro; (2) vel ab Era,
A 2 quæ

(1) Casiodorus ad Psal. 2. vers. 8. & ante eum Festus voca heres.

(2) Orig. lib. 5. cap. 25.

quæ terram significat, ut Hotomano, (1) nihil est aliud ex Gaio, & Juliano, (2) quam: *Successio in universum Ius, quod defunctus habuit.* Verum quorsum hæc definitio, aut quid his verbis significetur, altioris est indaginis. Ut planius intelligatur quid sit hereditas, opus erit duplicem ejus acceptiōnēm distinguere, quarum alteram vulgus, alteram J.Cti. invexere.

II. Populari sermone est ipsum Patrimonium à defuncto relictū heredi suo; (3) hoc sensu acceptam hereditatem etiam sui heredes habent; sed hoc alii: Proprius, in vulgarī tamen acceptiōne, hereditas est: Universitas quædam, sive collectiō omnium rerum, ac Jurium, quæ moriens quis habuit, nondūm heredis patrimonium effectorum. Hujusmodi universa distinguntur, & abstrahuntur à corporibus, & rebus in eisdem contentis.

III. Id tamen intelligere non potuit Seneca, (4) qui nihil differre existimavit hereditatem à rebus in eisdem contentis; sic enim inquit: *Jurisconsultorum istæ inceptiæ sunt acutaæ, qui hereditatem negant usucapi; sed ea, quæ in hereditate sunt; tamquam aliud quidpiam sit hereditas; quam ea, quæ in hereditate sunt:* Ob quæ ridendum se nostris præbuit vir alioqui subtilissimus. Sunt tamen, qui Senecam excusant, quasi ista potius tribuenda sint Liberali ejus Discipulo, quem ibi loquentem inducit Præceptor, juris imperitum, & de rebus à se non intellectis leviter pronunciantem. (5)

IV. At enim verò quatenus hereditas ad juris artem pertinet, non modo universitas est separata à rebus hereditariis, (6) sed & quidam est, quod Personam defuncti repræsentat; dominique vicem interim sustinet; quod circa fictionis commentum non subsistit; unde & *Juris Civ. esse in-*

(1) Comm. de verb. Jur.

(2) L. 24. de V. S. l. 26. de R. J.

(3) Huc spectat definitio Tulii in Top. cap. 19.

(4) Lib. 6. de Benef. cap. 5.

(5) Vid. Ev. Ottomem in Papiano, cap. 8. & ad §. 2. Inst. de reb. corp. & incorp.

(6) §. 2. Inst. de reb. corp. & incorp.

5

inventum necessario consequitur , ut indicat Ulpianus. (1) Num vero hujusmodi Universitates à singulis rebus abstractæ sunt in rerum natura , an tantum in intellectu ? Etiam nunc digladiantur inter se Philosophi nostri quorum litem nostram nunc non facimus.

V. Plane figmentum illud repræsentationis defuncti quod à juris dumtaxat consideratione pendet , & essentiam à jure mutuatur , non esse ens , quod revera subsistat , sed secundum notionem intellectus , & ideam quandam , non gravatè affirmamus : Nec insolens fuit Romanis similes collectiones commentitiarum Personarum imaginibus exprimere , puta Civitates , Municipia , Colonias , Provincias , quas sub humana specie frequenter representabant , ut videre passim est in marmoribus , & nummis antiquis. Hæc cum ita sint , nescio quid in mentem venerit Barth. Chesio (2) cum hereditatem defuncti vices sustinentem , & quæ domina habetur rerum hereditiarum , intellectu quidem consistere affirmat quemadmodum etiam Patrimonium , Peculum , Taberna; Sed ab his differre , quod illa realiter existat , hæc non item: Perverso , ut nobis videtur judicio. Obiter hic adnotatum velimus , cum fictio hæc hereditatis abstrahatur à rebus , & juribus , quæ defunctus reliquit , consequens esse , moriente eo , qui nihil prorsus habuit , cessare hereditatis commentum , quod , & ostendit definitio hereditatis ; Satis autem erit , si jus aliquod sit , etsi nullum sit corpus in rebus à defuncto relatis , quod proculdubio significat Papinianus , (3) hereditas , inquiens , etiam sine ullo corpore juris intellectum habet : Jure ergo concipitur hereditas , si nimirum jura sint: v. g. actiones quæ defuncto competebant. (4)

VI. Ut hereditati congruat superius allata definitio ad tropicam , sive figuratam locutionem configurare necesse est;

(1) L. 34. de adq. ret. dom.

(2) De differ. jur. lib. 1. cap. 61. n. 1.

(3) L. Haereditas 50. de pet. her.

(4) Neque audio Cujacium ad L. 50. lib. 6. q.q. Pap. & Fabrum in Rat. ad eamdt. Leg. qui in alium sensum verba Papiniani detorquent.

cum propriè non sit successio ; appelleatur tamen , quia successione in defuncti locum hereditas adquiratur : Nec tamen ea loquendi ratio J.Ctis. admodum infrequens visa est. (1) Eadem loquendi formula servitus à Florentino , (2) dicitur : *Constitutio Juris Gentium* , ex quo Justinianus mutuatus est , (3) & thesaurus à Paulo definitur : *Vetus quædam depositio pecunia* , (4) pro pecunia antiquitus deposita. Rachovius (5) tropicum quoque in hac definitione genus agnoscit *successionem* , contendens , hereditatem ita dici , non dissimili ratione qua bonorum possessio dicitur : *Jus persequendi , retinendique patrimonii , sive rei , quæ cujusque cum moritur fuit*: Etenim sicut bonorum possessio ipsa jus istud non est , sed bonorum possessori hoc tribuit , ut res defuncti persequi possit , sic hereditas ipsa successio non est , sed qui ex lege , aut voluntate defuncti heres efficitur , eo ipso in universum jus defuncti successisse intelligitur.

VII. Primariam causam fictionis inducendæ , ut hoc obiter moneamus , eam plerique adsignant quod expediatur rerum à defuncto reliatarum aliquem dominum considerari , ne illæ tamquam bona nullius , primo occupanti extraneo , & forsan male merito cederent Jure Gentium. Unde , & prædæ essent obnoxia , & quod inde sequitur discordiarum , & cædium ampla seges in dies succresceret ; sed hæc , & similia declamatoriæ nobis dici videntur.

VIII. Apud alias enim Gentes , ubi hujusmodi fictionibus non erat locus , bona defunctorum sarta recta ad eos perveniebant , quibus jus naturæ addiebat , ut liberis , cum lex naturæ sit , ut liberi Parentibus succedant , (6) vel aliis quibus domini voluntas sive testamento expressa , vel donatione mortis causa , sive etiam conjecturata , post mortem suam

(1) Ger. Noodtius com. ad tit. de pet. her.

(2) L. 4. §. 1. de stat. hom.

(3) §. 2. de jur. Person.

(4) L. 31. §. 1. de adq. rer. dom.

(5) Ad Treutl. vol. 2. disp. 12. th. 1. lit. A.

(6) Ut Philosophatur Philo Hebræus *De vita Moysis*.

7

suam destinabat ; nihil est enim tam naturale , quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre ratam haberi , etiam si executio in tempus differatur. Unde testamenta juri Gentium adscripsit Theophilus , (1) quod , & multis placuit , licet nonnulli reclament. Heineccius (2) nullas agnoscit ultimas voluntates ex jure naturæ , nisi quæ fuerint per modum pæti ; quod magis probamus.

IX. Ea verosimilior nobis arridet fictionis inducenda ratio , utilitas nimirum augendæ interim hereditatis novis acquisitionibus per servos hereditarios , quæ salva juris ratione contingere nequivissent , nisi crederetur esse Persona , quæ servis capacitatem præstaret. Porro hac posita dominii in hereditate continuatione multa consequuntur , quæ subtilitatem , ac rationalem jurisprudentia Romanæ Oeconomiam perspicue ostendunt : Veluti quod ita res hereditariæ dominum habere credantur , quæ revera sunt nullius , (3) quod per hereditatem dominum in heredem etiam post longam temporis intercedentem adeuntem intelligatur continuari jam à morte defuncti . (4) Quod heres decessoris Personam induat , ut omnibus , quibus ille tenebatur , obnoxius fiat . (5) Quod in legatarios recta via à testatoris obitu videatur dominium rei legatæ translatum . (6) Quod pendente hereditate impleatur usucatio à defuncto cepta , & quasi non interrupta possessione , etiam post aditam hereditatem compleatur . (7)

X. Hæc tamen , etsi quæ sunt alia hujus generis utilitatem potius , quam necessitatem fiditii juris probant ; sed de his satis ; Hoc tamen addendum hereditatis fictionem semel inductam non solum evanescere additione , verum etiam , quoties absconditur omnis spes additionis , puta si nemo sit ,

A 4

qui

(1) Ad §. 1. de jure nat. gent. & civ.

(2) De J. N. & Gent. lib. 1. §. 287. & seqq.

(3) L. 1. de div. rer. & q[uo]d.

(4) L. 54. h. tit.

(5) Nov. 48. in princ.

(6) L. 61. de furtis. L. 80. de legat.

(7) L. 40. & 44. de usu p. & usucap.

qui vel ex testamento , vel intestato heres esse possit , quo casu Fiscus caducas hereditates sibi vindicat jure Principatus , (1) quas antea occupabat ærarium Populi . (2) Sed quamvis fiscus vicem defuncti non sustinet , nec ut heres eadem persona fingitur , onera tamen hereditaria fert , quantum bona sufficient ; bona , ergo , non intelliguntur , nec Fiscum beant , nisi deducto ære alieno . (3)

§. II.

DE HEREDITATIS DELATIONE.

I. Cum adquisitionem hereditatis præcedat ejusdem delatio , postulat suscepiti operis ordo , ut de ifta etiam , & quidem primum differamus . Delata intelligitur hereditas , quam quis possit adeundo consequi . (4) Cum deferre alicui hereditatem nihil sit aliud , quam potestatem facere hereditatem adquirendi cum velit .

II. Causæ five tituli , per quos hereditas defertur , duo sunt , testamentum , & lex , unde & duplex delatio , & successio , altera testamentaria , altera legitima , five ab intestato , quarum illa potior est . Lex ergo XII. tabular . Civi bus Romanis Patribus fam . de rebus suis disponendi facultatem dedit ; qua si non ussi essent defuncti , lex eidem defuncto proximiores ad successionem vocavit ; cuius legis verba quibus testandi facultatem dedit hæc fuisse tradit Pomponius : (5) *vix legassit sua rei , ita jus esto* ; de intestatorum vero successionibus hæc Ulpianus : (6) *Ast , si intestato moritur , cui suus heres nec scit , agnatus proximus familiam habeto.*

III.

(1) L. i. §. 1. & 31. de Jure Fisci.

(2) Ulp. tit. 17. §. 2. & tit. 28. §. 7.

(3) L. 11. de Jure Fisci.

(4) Ter. Clemens in L. 151. de verbor. signif.

(5) L. 120. de verbor. signif.

(6) In Frag. tit. de legit. hered. 26. §. 1.

III. Non ante defertur hereditas, sive ex testamento, sive ab intestato, quam si mortuus sit de cuius successione agitur, cum nec antea sit hereditas, quæ deferri possit. Quia de causa frustra pro herede geritur vivo eo, in cuius bonis gerendum est. In conditionalibus institutionibus id juris est, ut hereditas sub conditione data non alias deferatur quam impleta conditione, nisi forte talis sit conditio, quæ jure improbetur. Unde intelligimus non posse eodem momento impleri conditionem, & deferri hereditatem, quod subtilissimis argumentis evincit Chesi. (1)

IV. Quid in puris obtineat hodie, certum est, & cuius obvium, nimirum deferri hereditatem à morte ejus cui succedendum est. (2) Non ita tritum, & exploratum quo tempore extraneis (3) deferatur hereditas vigentibus Legibus Caducariis; & placet post leges Julianam, & Papiam delatam fuisse hereditatem tempore apertarum tabularum, quæ aperiri solebant die tertio, aut quinto (4) non à morte testatoris, sed post exactos dies denicales, quæ madmodum eruditè conjectatur Heinecius. (5)

V. Sed hoc distinctionem recipit, nam heredi ex asse instituto deferebatur statim à morte testatoris, quo in casu nihil innovarunt leges Julia, & Papia; Unde in Jure errat heres, ait Paulus, (6) qui ex asse scriptus, se ante apertas tabulas adire non posse existimat. Pluribus vero hereditibus institutis non item; quod ideo effectum fuit ut portio deficitis caduca fieret, Ulpiano teste. (7) Eadem quoque ratione legata pura, vel in diem certum relicta ab aperte-

(1) Lib. 2. Interpr. cap. 9. num. 21.

(2) L. unic. §. 1. de cad. toll.

(3) Testamento scriptis, ad intestatorum enim hereditates Leges caducariae non pertinebant, nec ad testamento nuncupativo heredes nominatos. Paul. sent. lib. 4. tit. 8. §. 26, & Merilius obs. lib. 5. cap. 9.

(4) Paulus, dict. lib. 4. tit. 6. §. 3.

(5) Ad Leg. Jul. & Pap. lib. 3. cap. 2. num. 2.

(6) Lib. 1. §. ult. de Jur. & fac. ignor.

(7) Tit. 17. §. 1.

ra tabularum cedebant ex Lege Julia, & Papia, quæ tum
jure antiquiori, tum Justinianeo cedunt à morte testato-
ris. (1)

VI. Illud hic prætermittendum non est licet captivi apud
hostes decedentis hereditas non deferatur priusquam is vive-
re desierit, cum eo vivente omnia in suspenso sint propter
spem postlimini (2) tamen cum eodem mortuo apud hostes
credatur ab instanti, quo captus est, decessisse; sine dubio
& ejus hereditas beneficio legis Corneliae intelligetur retro-
delata eo tempore, quo caperetur. Ergo ut deferri possit
hereditas captivi, opus est conjungi tempus mortis cum
tempore captivitatis, ut ita Civis Romani, non servi hof-
tium hereditas deferri intelligatur.

VII. Hoc loco in quo versamur, quæri ab Interpreti-
bus solet, an delata intelligatur hereditas, si in Persona he-
reditis subest impedimentum, quominus adire queat, veluti si
is sit infans, ignorans, furiosus? Et eam amplectimur com-
muniiori calculo receptam sententiam, nimirum, hujus ge-
neris impedimenta nequaquam obstatre delationi hereditatis;
secus vero si impedimentum sit juris, veluti, si heres capax
non sit.

§. III.

DE MODIS ADQUIRENDÆ HEREDITATIS.

I. **D**Elationem hereditatis sequitur ejusdem adquisi-
tio: Illa à lege est, dum hereditatis adquiren-
dæ potestatem facit; hæc ab herede designato fit; dum eam
modis à lege inductis consequitur. Modi hereditatis quaren-
dæ pro diversitate heredum diversi sunt; Nos vero de ex-
traneis dicamus: Extraneorum appellatione hic intelliguntur
voluntarii, cæterique heredes, qui neque sui sunt, neque
necessarii, (3) quibus proinde liberum est hereditatem de-
latam, vel adire, vel repudiare, pro ut è re sua existima-

ve-

(1) Ulp. tit. 24. §. 3 i. L. unic. §. 1. C. de cad. toll.

(2) §. 5. Inst. quib. mod. jus patr. potest. solv.

(3) §. 3. Inst. de her. qual.

Verint. Voluntarios ab extraneis separat Quævetius (1) istos intelligens eos , qui alterius familiam successione adquirunt, & hoc nomine accusat Tribonianum , quod servum institutum , sed à domino vivente manumissum , extraneorum numero accenseat ; (2) illos vero cæteros , qui sua sponte patrifam. succedunt. Verum hæc sunt mere nugæ dialecticæ.

II. Voluntarii heredes quibus modis adquirant hereditatem non est sine magna Doctorum nostrorum contentione ; dicuntur sane adire , cernere , pro herede gerere , & agnoscere hereditatem ; verum non est in proclivi affirmare , aditionem , cretionem , pro herede gestionem , & nudam , quam vocant agnitionem esse genera hereditatis adquirendæ inter se diversa , & quidem quamplurimi sunt , (3) qui acriter in eos invehuntur , qui talia esse docent , quasi egregiè studiosis hujus disciplinæ imponentes ; cum non alii sint modi quam duo , aditio nimirum , & pro herede gestio.

III. Et profecto si tota hæc disputatio ad posteriora tempora referatur , nobis à superiori sententia recedendum non putamus ; verum si ad prisci juris observationem illam revocamus ; magis placet distinguere quatuor illas species cum Cujacio (4) aliisque doctis & eruditis viris quamquam nonnihil inter se discrepantibus . (5) Ne verò per ambages rem geramus , ecce vobis , quæ in unoquoque modo occurruunt , ut ex his , quantum inter se distent , non sit difficile judicare.

IV. Aditio generaliter sumpta videtur olim sub se comprehendisse cretionem , & aditionem , quæ sine cretione fiebat : Etiam in cretione usurpabantur verba hæc : Hereditatem

(1) Disp. Jur. lib.5. cap.1.

(2) §. ult. Inst. Justin. de her. qual.

(3) Arn. Vinnius , ad §. ult. Inst. de her. qual. præuentibus Petro Fabro , Donello , ejusque breviatore Osualdo.

(4) Ad Ulp. tit.22. & in Parat. Cod. de jure delib.

(5) Marano Parat. h. tit. Jano à Costa , Hotomano , Galtier , Majorat. ad tit. inst. de her. qual. Heineccius Synt. antiqu. Rom. lib.2. tit.17. & seq.



tem adeo, cernoque. (1) Cretio erat actus, qui perficiebatur ab institutis cum cretione: aditio in specie erat actus eorum, qui sine cretione scripti erant. Utraque vero actus legitimus, & solemnis; ac propterea, utraque apud Magistratum, penes quem legis esset actio, fortassis peragi debuit.

V. De cretione nullum habemus auctorem locupletiorum Ulpiano, qui (2) cretionem distinguit in vulgarem, & continuam; formulam instituendi cum vulgari (quam Bachovius, (3) mallet appellari utilem) hanc prodit: *Titius heres esto; cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris poterisque; nisi ita creveris, exheres esto.* Continuam eam fuisse tradit in qua non adjiebantur verba: *Quibus scieris, poterisque:* Proinde in ea etiam illi dies computabantur, quibus ignoravit se heredem institutum, aut scivit, sed non potuit cernere; cum è contrario in vulgari illi tantum computarentur dies, quibus scivit, & potuit.

VI. Rursus cretionem aliam perfectam fuisse memorat, in qua adjiebantur verba: *Si non creveris, exheres esto;* aliam imperfectam, in qua ea verba non adjiebantur, tametsi in defectum cretionis aliis institueretur ita: *Si non creveris, Mævius heres esto.* Hæc ex Ulpiano, cuius fragmenta, quoniam nondum viderat Viglius Zuichenius (4) putavit D. Isidorum, quæ tradit, (5) de certorum dierum numero, intra quos super adeunda hereditate decernere debebat institutus, de suo capite confixisse. Credimus tamen Ulpianum centum dierum meminisse exempli tantum gratia; quia verosimilius putamus certorum dierum numerum ab arbitrio Testatorum peperendisse.

VII. Verba ab herede in ipso actu dicenda hæc proferr adem Ulpianus: *Cum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque:* Ex qua formula apparet cernere he-

re-

(1) Plinius, lib. 10. epist. 79. & Festus verbo *crevi*.

(2) Fragm. tit. 22. qui her. inst. poss.

(3) Ad §. ult. Inst. de her. qual.

(4) Cum scribatur ad §. ult. de her. qual.

(5) Lib. 5. Etymol. cap. 24.

reditatem nequaquam esse, facere, ut viderent aliquem esse heredem, ceu interpretatur Varro, (1) sed de cernere se heredem esse velle, ut putat D. Isidorus, (2) & eruditii omnes: Heres ergo cum cretione institutus solemnii actus testibus praesentibus cernebat hereditatem, qua de causa in rem praesentem veniebat inspecturus, & deliberaturus, an esset e re sua illam adire.

VIII. Diuisis cretionis verbis heres dicebatur hereditatem adiisse: Nec aliis ritibus tunc facta videtur hereditatis aditio: Sunt equidem, qui symbola fuisse cretionum existimant percusionem digitorum (3) quod signum domini apud veteres fuisse constat. Alii etiam saltationem addunt, quasi latitiae signum, (4) sed utrumque ritum collegere ex male intellecto loco Ciceronis, (5) quem non recte etiam intellexisse B. Ambrosium scribit Heineccius. (6)

IX. Aditio, quæ siebat absque cretione actus pariter erat legitimus, civilibus solemnitatibus non destitutus, & ideo sub conditione fieri non poterat, neque per Procuratorem. Qua fortassis de causa Universitates olim institui non potuere, teste Plinio, (7) cum ipsa hereditatem adire non valerent: Ex eadem ratione profluit, quod olim Senatores impetrabant legationes liberas adeundarum hereditatum causa, quæ in longinquis essent regionibus, ut ex Cicero (8) ostendit Jos. Averanius, (9) quas impetrare opus erat, maximè postquam à Julio Cæsare, & Augusto fuit interdictum Senatoribus eorumque filiis, ne peregre proficerentur teste Suetonio, (10) sed ad rem.

X.

(1) De ling. lat. lib. 5. cap. 8.

(2) Lib. 5. Origin. cap. 24.

(3) Cujac. obs. lib. 7. cap. 8.

(4) Altafera de Fictionibus juris tract. III. cap. 19.

(5) Offic. lib. 3. cap. 19.

(6) Syntag. Antiq. Rom. lib. 2. tit. 17. & seqq.

(7) Lib. 5. Epist. 7.

(8) In 1. Agrar. contra Rull. & lib. 3. de legibus,

(9) Interp. jur. lib. 1. cap. 12. num. 11.

(10) In Julio cap. 24.

X. Pro herede gerere quem videri, inquit Justinianus, (1) si rebus hereditariis tamquam heres utatur. Pro herede autem gerendo non adquirebatur olim hereditas, ut non contemnendis argumentis demonstrare satagit Guil. Maranuſ, (2) Verum progressu temporis ob difficultatem creationis, quæ propter anxiam, & scrupulosam illius observationem, non semper, nec in omni loco peragi poterat, nec à quolibet; Prudentum interpretatione paulatim inducta fuit pro herede geritio, actus non legitimus, qui ab impeditis hereditatem cernere, & per alios explicari facilius fas esset; ut jam pro herede gestio modus legitimus habeatur, præsertim post creationem, & formularum solemnitatem sublatam. (3)

XI. Agnitionem nudam non fuisse antiquitus legitimum modum adquirendæ hereditatis nobis persuassum est. Nudam vocant Doctores agnitionem hereditatis simplicem quandam aditionem, sive declarationem voluntatis, quibusvis verbis, quocumque in loco, & tempore factam de adeunda hereditate: Unde nec fiebat apud eum penes quem legis actio esset, nec solemniter adhibitis certis formulis; & quod magis est, nec veram fuisse aditionem, necesse est, ut dicamus. Credimus tamen hunc adquirendæ hereditatis modum absque ulla solemnitate peragendum, post sublatam solemnem creationem invaluisse, tandemque effectum legitimum: Ex quibus omnibus satis liquere arbitramur magnum versari discrimen inter quatuor modos adquirendæ hereditatis; & quoniam duo priores exoleverunt, de duobus tantum, qui Justiniani tempore frequentabantur, plenius agamus.

XII. Pro herede gerit, qui animo hereditatis adeundæ tractat res hereditarias, vel quas hereditarias errore ductus existimat. (4) Cum ad id opus sit facto aliquo, ex quo ani-

mus

(1) §. ult. Inst. de her. qual.

(2) In Parat. h. tit.

(3) Partim L. i. C. Theod de cret. Partim denique L. 17. C. de Jure delib.

(4) L. 20. L. 21. §. 1. L. 88. hoc. tit.

mus adeundæ hereditatis colligatur, quia illa non tam facti est, quam animi, (1) perpendere oportet factorum circumstantias, & qualitates ex quibus facientis animus ostendatur.

XIII. Jam vero facta in duplice sunt differentia; quædam namque sunt ejusmodi, quæ citra jus & nomen heredis fieri nequeunt; alia autem promiscua sunt, ita ut etiam ab eo, qui jure, & titulo heredis destitutus est, agi valeant: Quæ sunt prioris generis si probentur, probatum in consequentiam erit, quem pro herede gesisse; si vero probentur, quæ sunt secundi generis non item; quia incertum adhuc manebit, an ne illa fecerit nomine proprio, an jure heredis: Utramque discriminis partem exemplis illustrabimus quærenti.

XIV. Hoc restat ut pauca de aditione, seu nuda agnitione atexamamus. Aditionem istam nudam; voluntatem suscipiendæ hereditatis, appellat Justinianus (2) quod tamen non ita accipiendum est, quasi destinationem, sive propositum adquirende hereditatis in mente retentum pro aditione habere velit Imperator, sed nudam dicit ad differentiam gestionis pro herede, quæ factum exigit. Neque aliud potuit statuere Civilis Legilator: Actus mere interni non cadunt sub eam legem, cuius finis est felicitas externa, & politica Reipublicæ. An autem voluntas tacita, quæ nullo modo sese exterius prodit, in foro saltem conscientiæ obliget hereditati? Et an Jus Canonicum potestatem habeat in actus mere internos, qui nullo signo intelligibili appareant, vel apparere possint? Canonistis, & Theologis disquirendum relinquimus. Illud ad nos pertinet examinare, an adeat is, qui dicit se velle adire? Et placet sententia affirmantium quos laudat, & sequitur Fachineus, (3) sed & perquam ridiculum est quod dissentientes eum adire fateantur, qui dicit: *Volo heres esse*, & id negent de eo, qui dicit, *volo adire hereditatem*; quasi aliud sit velle heres esse, quam adire hereditatem: Ex quibus non solum probabilis, sed,

(1) L. 88. hoc tit.

(2) §. ult. Inst. de her. qual.

(3) Controv. lib. 6. cap. 50.

sed, & certa nobis videtur sententia multorum, præcipue veteris glossatoris apud Contium, (1) quam nervose tuetur doctissimus Jos. Averanius, (2) eum cui delata est hereditas, si mandet Procuratori, ut eam adeat, hoc ipso adire hereditatem.

XV. Illud tamen animadvertisendum duximus, ut quis adeundo, aut pro herede gerendo heres fiat, necesse est, ut sciat defunctum aut testatum, aut intestatum deceperisse: Item qua ex causa hereditas ad eum perveniat. Certus debet esse se heredem esse, proinde ei constare conditionem testatoris: Ad hæc, et si sciat se heredem institutum, sed utrum pure, an sub conditione ignoret, vel etiam qua ex parte scriptus sit, non poterit adire hereditatem.

§. IV.

PER QUAS PERSONAS HEREDITAS ADQUIRI POSSIT.

I. **Q**uoniam sæpius in hunc articulum jam incidimus, plenus excutiamus, qui adquirere hereditatem possint: Et profecto non solum liberi homines, sed etiam qui in aliena sunt potestate hereditatem sibi delatam illi querunt in cuius potestate sunt, si ejus iussu, & quidem præcedente adierint: Unde si servus iussu Domini, vel filius fam. iussu Patris non præcedente adierint, nihil prorsus agunt. Quod autem iussus ab ore Patris, vel domini accipiatur, vel fiat per epistolam, aut per internuncium, quidquam non interest; dum tamen speciale sit mandatum de certa hereditate adeunda: Generalis iussus: *Quæcumque tibi hereditas fuerit delata*, non sufficit, ut ex Gajo Cassio probat Ulpianus. (3)

II. Non solum autem privatorum servi heredes instituti præcedente iussu adire debent; sed etiam servi Universitatum; sed hoc pleniore indiget explicatione. Corpora quidem

(1) Lib. 2. subc. lect. cap. 17.

(2) Interp. Jur. lib. 1. cap. 12. n. 13. & seqq.

(3) L. 25. §. 5. ff. h. tit.

dem hujusmodi, tamquam incertæ personæ institui olim non potuerunt, ut ait Ulpianus, (1) concessum tamen fuisse S.Cto. ut Municipia à libertis suis institui possent. Collegia etiam quædam fuisse, quæ Diocletiani, & Maximiani temporibus recte instituerentur, liquido arguitur ex L. 8. Cod. de her. instit. Sed tandem videtur obtinuisse, ut similia corpore institui directo possent. (2) Quamquam autem Municipia, Civitates, & Collegia heredes institui olim non possent, potuisse tamen rectè institui eorum servos probat Ulpianus, cujus verba Guil. Marano, (3) & aliis quibusdam causam præbuerunt putandi, servi hujusmodi institutionem, non alias effectum habere potuisse, quam si alienaretur, vel manumitteretur: Nobis tamen verosimile non sit, neque viro doctissimo D.Gregorio Mayansio (4) potuisse rectè institui servum Municipii, & tamen non potuisse hereditatem querere Municipio: Latus hic nobis se aperit campus diserendi de aliis ad servos, & filios fam. pertinentibus, quem tamen instituti ratio non sinit excurrere; brevissime dicamus de adquisitione hereditatis delatae Infantibus, Pupillis, Minoribus, & Furiosis.

III. Infans, cuius nomine hic intelligimus septennio minorem hereditatem sibi delatam cernere olim non potuit, quoniam ob ætatem neque scrupulosas creationis solemnitates peragere poterat, neque proferre certa, & legitima verba in his adhiberi solita; neque potuit eam adire Jure civili propter judicii, & voluntatis dessestum: Sed neque ejus Patri operam suam accommodare licuit in adeunda hereditate, eademque ratione, nec tutor, si sui juris erat Infans, adire potuit. Novum tamen jus in Infante à Theodosio, & Valentiniano constitutum est. (5)

IV. Potuisse tamen Infantes tutores, auctore pro herede gerendo adquirere hereditatem sentiunt Pet. Faber, & J.

Co-

(1) Fragm. tit. 22. §. 5.

(2) L. 12. Cod. de her. instit.

(3) In Parat. h. tit.

(4) In Disput. de incert. legat. num. 49.

(5) L. 18. C. de jure delib.

Gothofr. (1) aliquie ; & expressit Mæcianus (2) affirmans pupillum infantem non dubiè pro herede tutore auctore gerere posse , & ad hujus similitudinem , etiam eidem restitui hereditatem ex S. C. Trebelliano ; quorum sententiam probamus , nec dubitamus quin exemplo possessionis auctoritate tutoris à pupillo infante adquisitæ , receptum quoque benignè , & utilitatis causa fuerit , ut pro herede gerere possit , licet Accurso absurdum visum est , & Claud. Ciffletius (3) Mæcianum reprehendat , quasi haud satis pensiculat ea protulerit.

V. Pupillus septem annis major hereditatem adquirere potest cum tutoris auctoritate : *Pupillus, si fari possit, inquit Paulus,* (4) licet hujus aetatis sit, ut causam acquirenda hereditatis non intelligat , tamen cum tutoris auctoritate hereditatem adquirere potest , hoc enim favorabiliter eis praestatur . Puberes 25. annis minores curatorum consensu minimè indigebant ad hereditatem adeundam , fecus autem Jure novo. (5)

VI. Furiosis denique impedimento est animi vitium , propter quod nulla ipsius est voluntas , nullus sensus , nullum iudicium , ut hereditatem consequantur : Sed neque per Curatorem potuit furiosus , qui sub curatione agnatorum esse jubebatur lege XII. tab. (6) hereditatem adquirere . Ex constitutione vero Imper. Justiniani , (7) curatori traditur hereditas administranda ; ea lege , ut si furiosus postea ad se redierit , ipse de ea suscipienda , aut omittenda statuat , & omissa ad eos revertatur ad quos remoto furioso perversa esset , uti etiam , si in furore decesserit .

§. V.

(1) Ad L. 5. de Reg. Jur.

(2) In L. 65. §. 3. ad S.C. Trebell.

(3) De Jure Fideicommissor. lib. 4. cap. 4.

(4) L. 9. ff. de adq. vel omit. hered.

(5) L. 26. C. de adm. tut.

(6) Paulus lib. 4. Sent. tit. 4. §. 1.

(7) L. ult. §. 3. & seqq. C. de Curat. Fur.

DE OMITTENDA HEREDITATE.

I. **R**elicta de verbo omittenda inani logomachia, nihil aliud in praesenti est omissionis, quam repudatio, & recusatio hereditatis: Cum ea recusari possit non tantum verbis, & factis, sed, & quovis inditio voluntatis, (1) consequens est, ut vel voluntate expressa, vel tacita omittatur. Tacita voluntate intelligitur recusari hereditas, cum heres aperte non repudiat, nec tamen adit intra tempus ad deliberandum præstitutum; expressa voluntate cum verbis declarat nolle se heredem esse.

II. Is potest hereditatem repudiare, qui, & adire potest; unde cum de Personis, quæ possunt hereditatem adquirere copiose jam dictum sit, supervacuum est, ea omnia hic iterum congerere de his quæ omittere possunt: Ad alia veniamus, quæ vix prætermitti debent: Ut repudiari possit hereditas debet esse delata, sive in ea causa ut adiri possit. (2) Hinc illa juris nostri regula: Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest: Hinc substitutus si ante repudiet, quæ heres institutus decernat de hereditate, nihil valebit repudiatio: Hinc tandem efficitur, ut qui sub conditione institutus, ante conditionem existentem repudiat, nihil agat.

III. Plurium sanè rerum notitia ad hereditatis repudiationem necessaria est; idcirco, qui repudiatur certus esse debet defunctum esse eum, cuius successionem repudiatur: Præterea certus esse debet sibi delata in hereditatem, & quæ ex causa sibi delata sit, ex testamento ne, an ab intestato: Deinde pure ne, an sub conditione, heres sit institutus: Postremo de sua quoque, & defuncti conditione certus esse debet; alioqui uti adeundo, ita repudiando nihil agit.

IV. Ad modum, & rationem repudiandæ hereditatis pertinet, ut tota, quantcumque delata est repudietur, partis

(1) Paulus lib. 4. fent. tit. 4. §. 1.

(2) L. 174. de R. J.

tis repudiatio nulla est ; adeo ut non solum qui exesse simpliciter heres scriptus , sed etiam , qui ex pluribus partibus in ejusdem hereditate institutus est, non possit quasdam partes repudiare, quasdam agnoscere, ut docet Ulpianus. (1) Neque interest in parte repudiata habeat substitutum , an non : Huc etiam spectat, quod nullius momenti est repudiatio hereditatis semel quæsitæ ; nam qui heres extitit non potest amplius Personam heredis exuere , neque obligationem cum creditoribus defuncti , & legatariis contractam sola repudiatione hereditatis à se rejicere.

V. Hæc quidem ex veterum J.Ctorum. quæ in Pandectis reperiuntur fragmentis, quatenus in nobis positum erit, prælibasse juverit , pauca sane , si rerum copiam spectes ; plura fortassis , si argumenti magnitudinem ingenii tenuitate admetiaris. Multa consulto præteriisse haud gravatè profitemur , ne hisce thesibus illustrandis , vel ipsarum thesum modum excederemus ; novimus enim singulorum , qui hanc adornandam suscepérunt spartam institutum in quam latissima excrevisse commentaria ; Nobis vero brevitati consulentibus id tantum curæ fuit sub brevi verborum involucro quandam hujuscce argumenti imaginem adumbrare ; quod si vel in hoc nostra vobis minus probata fuerit industria , erit fortassis quod rei ipsius novitate nobis ignoscendum videatur.

FINIS.



(1) Leg. 2. h . tit. & Paulus 1. 80. eod.